





21
1770, 50.
DISSERTATIO IVRIS PVBLICI GERMANICI

DE

IVRE PRIMARIARVM PRECYM
VXORIBVS ORDINVM IMP.
COMPETENTE.

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

P. 377.
AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT

IVRISSCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE,

ANTIQVIT. IVR. PROFESS. EXTR. ACADEM. ELECT.

MOGVNT. SCIENT. VTIL. NEC NON SOCIETAT.

LAT. IENENS. COLLEGA,

DIE VIII. AVG. A. O. R. CIOIOCLXX.

H. L. Q. C.

DEFENDET

AVCTOR.

CHRISTIANVS FRIDERICVS HVMMITZSCH

MISNA - MISNICVS.

LIPSAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA



DISSERTATIONIS PUBLICI GERMANICI

IVRE PRIMARIARVM PRECYM
VXORIBVS ORDINVM IMP
COMPTENTIE

QVAM

ILLVSTRISSIMO SCS VNI ORDINIS AVCTORITATE

FRANCOFURTI

AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT

AVRASCIENTIAE ET PHILIPPO

AVRASCIENTIAE ET PHILIPPO

AVRASCIENTIAE ET PHILIPPO

AVRASCIENTIAE ET PHILIPPO

AVRASCIENTIAE ET PHILIPPO



AVRASCIENTIAE ET PHILIPPO

AVRASCIENTIAE ET PHILIPPO

AVRASCIENTIAE ET PHILIPPO

CHRISTIANVS FRIDERICVS HAMMERSCH

AVRASCIENTIAE ET PHILIPPO

AVRASCIENTIAE ET PHILIPPO

AVRASCIENTIAE ET PHILIPPO

ALLE ILLVSTRISSIMO
SIGNORE,
IL SIGNOR CONTE
CAMILLO MARCOLINI
GRANMASTRO DELLA GWARDAROBBA DI S. A. S.
L' ELETTORE DI SASSONIA.

AFF. ILLVSTRISSIMO

SIGNORE,

IL SIGNOR CONTE

CAMILLO MARCOLINI

GRANMASTRO DELLA GUARDIA ROSSA DI S. A. S.

IL FIEFTE DI SASSONIA.



*ILLVSTRISSIMO
SIGNOR CONTE,*

*H*anno i loro seueri Giudici
le letterarie fatiche;
hanno però i loro benigni Mecenati
ancora. E l' uno e l' altro venero in
ELLA, Illustrissimo Signor Conte,
e perciò ardisca di presentarle un
picciol

picciol saggio de' miei academici studj.
Si degni di aggradire in queste poche
Carte, che con profondissimo inchino
a LEI consagro la mia rispettosissima
observanza. LE prego ogni maggior
felicità, e riverentissimamente mi
raecomando

di VOSSIGNORIA ILLVSTRISSIMA

umilissimo servitore

CHRISTIANO FEDERICO HVMMITZSCH.



§. I.

Instituti ratio.

Quamquam post tot tamque egregios doctissimo-
rum virorum, quos nostra aetas tulit, labores,
refectis pristinorum temporum fabulis et nugis
veterum interpretum, qui quadrata rotundis, Romana Ger-
manicis miscere religioni sibi haud ducebant, neglectis, noua
plane ac hiliori facie decorata nunc adpareat iuris publici
Imperii nostri prudentia, totque praestantissima illustris hu-
ius doctrinae capita, de quibus maiores nostri vix cogitave-
rant, summa cura atque industria nostro seculo, singulis edi-
tis scriptis, illustrata fuerint: supersunt tamen, ni fallor, haud
pauca iuris publici argumenta singularia, quae vberiore et
peculiarem tractationem adhuc expectant. In quorum nu-
merum *ius primiarum precum*, quod ab *uxoribus Principum*
ac Comitum, qui in Ordinibus Germaniae sunt, passim exer-
ceri deprehendimus, nullus dubito referre. Quamvis enim
bene multi, quorum indicem videas quaeſo apud



NIVM, ^{a)} hoc augustum ius, quod, cum ab initio foli Imperatori proprium esset, postea etiam aliis competere coepit, et in vniuersum latius exposuerint, quorum agmen ipso perillustri MOSERO ^{b)} palmam porrigente, absque controuersia AYRERVS, ^{c)} vir illustris, nunc ducit; et singula eius capita, v. c. de iure Vicariorum Imperii, Imperatricis, Principum Imperii circa preces primarias, de iure Caesaris in Capitulis mediatis, ac alia, data opera tractauerint; nemo tamen, si recte memini, adhuc extitit, qui primariis precibus vxorum Ordinum Imperii propriam operam suam addiceret. Nam quae passim apud scriptores de iis occurrunt, ea plerumque verbis aut quatuor verbis absoluuntur, si solos BOEHMERVM ^{d)} atque AYRERVM ^{e)} excipias, qui tamen ipsi magis de *exemplis*, quam de *iure* solliciti fuerunt. Vnde operae pretium facturus mihi visus sum, si breuem libellum huic singulari iuri enucleando consecrarem. Duae autem meae tractationis erunt partes. Primum disquiram: *An et quo iure primariae preces ab vxoribus Principum ac Comitum Imperii passim dentur?* Deinde, *quomodo hoc ius exerceri possit?* declarare studebo. Quo officio antequam rite desungi queam, opus esse videtur, vt genuino fundamento iuris primariarum precum, quo primum Imperatori illud competere coepit, postea partim imitatione, partim aliis caussis ad alias etiam personas translatum, praefationis loco in vniuersum breuiter differam.

§. II.

a) Bibliotheca LIPENIO IENICHENIANA s. v. *Praeces Primariae*. *precum, quam late patet, ex genuinis fontibus deducum.* Goettingae, 1740. 4.

b) Io. Iac. MOSERVS in *Zusätzen zu dem Teutsch. Staatsrecht*, P. II p. 393. de *Ayreri* libro ita pronunciat: *Dieses ist dermalen die beste Schrifft von gegenwaertiger Materie.*

c) Ge. Henr. AYRERI *Commentatio iur. eccl. publ. ius primariarum*

d) *Iust. Henn. BOEHMERVS in Iure Eccles. Protest.* lib. III. tit. III. §. 105. Tom. II. p. 341. sq.

e) AYRERVS lib. cit. Cap. V. §. 5. et 6. p. 179. sq.



§. II.

Origo et fundamentum iuris primariorum precum, quatenus Imperatori competit, exponitur.

Naturam iuris primariorum precum ab Imperatore exercendi in *provisione beneficii extraordinaria* positam esse, *qua capitulo siue in uniuersum ordinario collatori collatio beneficii certae personae facienda, sed non nisi semel per totum regiminis tempus, iniungitur*, nemo est, qui ignorat. Fundamentum si quaeris, valde dissentientes deprehendes scriptores. Alii enim Pontifici nimis fauentes, indultu papali opus esse censent, quoniam nouus Imperator hoc ius exercere velit, alii propria auctoritate id fieri posse rectius affirmant. Et horum quidem etiam alii hanc potestatem ex foundationis seu dotationis titulo arcessunt, alii ex veteri aduocacia Caesaris ecclesiastica deducunt, alii partem maiestatis esse censent, alii ad consuetudinem antiquam recurrunt, aliis alia placent minus probabilia, quorum omnium sententias summa cum industria collegit, sub examen vocauit, suamque adiecit illustris AYRERVS, ^{f)} quibus addas, qui post eum scripserunt, per ill. MOSERVM ^{g)} atque b. DEINLINYM ^{h)} quorum ille ad inueteratam consuetudinem cum indultu Pontificis coniunctam, hic vero ad antiquissimum exercitium iuris maiestaticum supremi Caesaris circa sacra prouocat. In quas quidem opiniones latius et fusius inquirendi cum hic locus non sit, di-

A 3

cam,

f) AYRERVS lib. cit. cap. I. Equidem non ignoro, virum illustrem hoc argumentum postea de nouo tractasse, *Programmata de origine iuris primariorum precum*, Goettingae, 1752. edito. At cum mihi haec commentatio non sit ad manus, quid amplius ibi praestitum fuerit, iam referre nequeo.

g) MOSERVS in *Teutsch. Staatsrecht*, lib. II. cap. XXXI. in P. III. p. 373. sq.

h) Ge. Frid. DEINLINVS in *Exercit. de iure primariorum precum Imperatrici Augustae competente*. Altorf 1743.



cam tantum breuiter, quid mihi in hoc doctissimorum viro-
rum dissensu videatur verisimile, et, an forte conciliatione
aliquid effici possit, experiar. Ego namque non ex vno,
sed ex pluribus fontibus hoc angustum ius sensim profluxisse,
mihi habeo persuasum. Non in solo iure maiestatico circa
sacra, nec in sola consuetudine, nec in sola aduocacia eccle-
siastica, nec denique in sola fundatione aut dotatione eccle-
siarum causam quaerendam duco, sed potius in arctissimo
omnium harum causarum vinculo verum fundamentum po-
situm esse censeo. En rationes meae sententiae, quam per
partes declarare opus est! *Primum* vt adpareat, ius maiesta-
ticum circa sacra non posse genuinum ac vnicum eius funda-
mentum haberi, ad naturam iuris maiestatici circa sacra ex
iuris publici vniuersalis rationibus definiendam et a iure colle-
giali ecclesiae rite discernendam omnino respici debet. Ac
maiestatis quidem, quae est principis, et iuris collegialis,
quod ipsa ecclesia tamquam externa in republica subsistens,
et imperio civili subiecta societas ab origine sibi optimo iure
tam diu vindicat, donec de libera translatione in principem
facta, aut de priuatione eius ob abusum iuste decreta constet,
in rebus ecclesiae ordinandis fines ita describendos arbitror,
vt ad *hoc* et adornatio ipsius cultus diuini et determinatio me-
diorum, quae ad hunc cultum aequae ad ac salutem ecclesiae
in vniuersum faciunt, et remotio impedimentorum, quae
huic fini obstant, saluo tamen semper nexu subiectionis cum
republica referatur; *illa* vero facultate externum religionis ex-
ercitium in republica definiendi, quam iuris reformandi ap-
pellatione comprehendere solent, porro inspectione, ne salus
et tranquillitas reipublicae ex ecclesia et exercitio potestatis
ecclesiasticae detrimenti quid capiat, denique aduocacia pu-
blica absoluator. Ita fere rem dilucide et adcurate perillu-
stris



stris CRAMERVS ⁱ⁾ atque illustris BOEHMERVS ^{k)} exposuerunt. Haec si ad prouisionem beneficiorum adplicentur, facile patet, cuius potestati, maiestati, an ecclesiasticae atque collegiali ipsius ecclesiae potestati ea origine propria sit? Scilicet cum beneficia non solum in bonis ecclesiae sint, sed etiam officiis ecclesiasticis annexa, utrumque uero, et administratio bonorum ecclesiasticorum, et cura circa officia in ecclesia rite peragenda, tamquam primaria media ad salutem ecclesiae augendam et conseruandam spectent, non potest non beneficiorum dispensatio ad ipsam ecclesiam ut ius collegiale ab origine pertinere, saluo tamen principi iure maiestatico et cauendi, ne ecclesia cum dispendio salutis reipublicae de beneficiis et officiis disponat, quod fit, cum aut personis, quas noxias esse reipublicae princeps iudicat, aut modo, ex quo tranquillitati reipublicae periculum imminet, ea conferuntur, et propter abusum reipublicae damnosum hoc ius ecclesiae uel restringendi, uel penitus tollendi, et denique lites ac turbas inde ortas aduocatae iure componendi. Si praeter has causas plus iuris competit principi in conferendis beneficiis ecclesiasticis, id quidem ex alio fonte profluat, necesse est. Vnde absque negotio intelligitur, ius primariarum precum, quod prouisionem beneficii extraordinariam continet, proprie non esse partem maiestatis, posse tamen maiestati annecti, sed non nisi speciali titulo quaesitum. Quapropter non nego, quin potestas, quae ex solius iuris publici uniuersalis rationibus maiestaticum ius non erat, possit tamen ex singulari regni cuiusdam formula, et ob peculiarem causam maiestatis pars fieri, quemadmodum multa uidemus hodie

i) *Io. Vlr. L. B. DE CRAMER*
in *Diff. de iure circa sacra collegiali et maiestatico*, in *Opusc.*
Tom. II.

k) *Ge. Lud. BOEHMERVS* in
Princip. Iur. Canon. in Praefat. nec
non p. 5. et p. 10. sq. edit. nouiss.



die inter regalia referri, quae natura sua talia non sunt. Itaque si quis velit nobis persuadere, iuris primiarum precum in Germania fundamentum in solo iure maiestatico circa sacra positum esse, eum antea demonstrare oportet, secundum singularem formulam nostri Imperii ius prouidendi de beneficiis ecclesiasticis, cuius particula est ius primiarum precum, ad maiestatem Imperatoris tamquam partem pertinere. At enim vero hoc probari nequit. Nam etiamsi aliquis ad pristina tempora recurrat, ubi inuestitura per anulum et baculum Episcopi et Praelati Germaniae ab Imperatoribus constitui solebant, et hic aliquid iuris maiestatici deprehendisse sibi videatur, quamuis forte melius dixeris, Imperatores hanc potestatem tum partim iure foundationis, partim aduocatae praetextu, partim ob nexum feudalem terrarum Episcopatus ac Praelaturis adhaerentium tantum exercuisse; certe tamen hoc ius dispensandi beneficia ecclesiastica ab origine ecclesiae proprium et speciali titulo regibus Germaniae quaesitum, post pactum inter Henricum V. et Calixtum II. a. 1106. in initum, postque Concordata Nationis Germanicae cum sede Romana conclusa plane periit, iis tantum Imperatori relicta, quae aut sua natura ad maiestatem pertinent, aut nexum feudalem ac iura secularia respiciunt. Quodsi igitur ob has, quas dixi, causas, saltem hodie, potestas conferendi beneficia ecclesiastica in vniuersum non amplius adhaeret maiestati Imperatoris, quo, quaeso, iure primiarum precum dandi facultatem ex vetusto iure maiestatico eius circa sacra arcesses? Quod ad alteram sententiam, eorum nempe attinet, qui rationem huius iuris in sola consuetudine quaerunt, largior quidem, quantam vim habeant mores, probe gnarus, obseruantiae in augendo et firmando eo multum sane tribuendum esse. Hoc tamen a me impetrare non possum, ut credam, solam consuetudinem effecisse, ut Imperatori collatio

lationem vnus beneficii cuiuslibet capitulo in Germania, vbi nullum legale impedimentum obstat, iniungendi ius sit, vti nunc esse videmus, ratus potius, statim ab initio aliquam causam subfuisse, propter quam illud exerceri inciperet, quamuis diuturno ac perpetuo vsu omnino firmatum fuerit.

Qui porro ob aduocatiam, quae Imperatori optimo iure competit in ecclesiis Germaniae, ius primiarum precum exerceri posse contendunt, hi quidem videntur fines aduocatae ecclesiasticae nimis extendere, ad cuius profecto naturam ius iubendi collationem beneficii non pertinet, nisi aduocatus speciali titulo, pacto scilicet aut expresso, aut tacito, illud sibi acquisuerit. Tandem nec eorum opinio, qui ad solum fundationis titulum respiciunt, omnino vera haberi potest. Nam licet forte non inepte dixeris, Caesares in ecclesiis ac monasteriis ab ipsis fundatis sibi reseruasse ius, quod primiarum precum nomine venit, id tamen qua ratione ad reliquas ab Imperatoribus haud fundatas, in quibus non minus ius primiarum precum exercent, trahi possit, non intelligo. Si igitur dicendum, quod res est, mea huc redit sententia, vt has quatuor causas (reliquas enim a Doctoribus excogitatas, quia minus adhuc probabiles sunt, omitto) in eruendo vero iuris primiarum precum fundamento coniungamus. Scilicet cum transactione Calixtina bellum inter sacerdotium atque imperium nondum esset sublatum, sed potius Imperatores iura pristina amissa recuperare omni studio laborarent, videntur forte imitati preces Pontificum et inde natas prouisiones extraordinarias papales, precibus ad Capitula directis, saltem sub initium imperii sui, effecisse, vt beneficium primum vacaturum candidato ab iis nominato conferretur, idque sub praetextu partim aduocatae in quibuscumque, partim fundationis in ecclesiis ac monasteriis ab ipsis exstructis in reuerentiae et grati animi documentum plerumque obtinuisse.

B

Quem-



Quemadmodum autem haud raro euenire solet, vt quod antea precario factum est, post temporis lapsum in consuetudinem abeat, et iure fere perfecto exigi incipiat: ita et preces Imperatorum ad capitula directas sensim formam mandatorum induisse arbitror, quod sub colore aduocatiæ forte et nexus feudalis facile effectum est, praesertim cum capitula potentiae Imperatorum non possent resistere. Sic obseruantia peperit ius perfectum, non maiestaticum quidem, h. e. quod partem maiestatis constitueret, quale ius primariarum precum nec sua natura, nec secundum formulam Imperii nostri esse posse iam vidimus, attamen, quia imperatio modo exercetur, maiestati adnexum, cui adeo firmiter hodie adhaeret, vt Imperatori statim, ac maiestatem suscepit, illud competat. En genesis augusti huius iuris! Consuetudo sub aduocatiæ ecclesiasticae et partim etiam fundationis colore inuecta, dedit titulum, quo illud nunc vt accessorium ius maiestati Imperatoris adhaerere videmus. Ita scilicet diuersas de eius fundamento opiniones amice conspirare crederem.

§. III.

Transitus ad argumentum propositum.

Ex his quidem, quae hactenus dicta sunt, adparet, ab initio soli Imperatori competiisse ius primariarum precum, quippe maiestati eius adhaerens. Mox autem etiam cum aliis personis illud communicatum esse, historiarum monumenta atque experientia nos docent. Non solum enim prostant exempla cessionum huius iuris ab Imperatoribus alijs per certas terras expresse facturum, quale BOEHMERVS¹⁾ de Wenceslao in Rupertum, Electorem Palatinum, primarias preces per dioecesim Spirensẽm ac Wormatiensẽm exercendas trans-

ferente,

1) *Iust. Henr. BOEHMERVS in Iur. Eccles. Protest. lib. III. tit. V. §. 102. Tom. II. p. 340.*

ferente, ex TOELNERO ^{m)} protulit, sed inualuit etiam partim obseruantia, partim aliis titulis, vt illud ab aliis quoque praeter Imperatorem personis ex regula exerceri posse nunc credatur. Sunt autem hae: *Imperatores: Vicarii Imperii: Principes ac reliqui Ordines Imperii*, qui gaudent superioritate territoriali: horum denique *uxores*. De singulis ea tantum monebimus, quae cum scopo huius libelli conueniunt. Ac Imperatrix quidem, cuius in exercendis primariis precibus causam DEINLINVS ⁿ⁾ ac IENICHENIVS ^{o)} ex instituto egerunt, quo iure hic vtatur, proprio? an cesso a marito? quaeritur a iuris publici doctoribus. Mihi perplacent, quae ill. AYRERVS ^{p)} in hanc rem egregie disputauit: *Ex voluntate autem*, ait, *et arbitrio Imperatoris pendere, vtrum hoc ius coniugi concedere velit, an minus? communis est sententia, suis quoque rationibus suffulta. Quamuis enim alias consecuti iuris sit, uxorem sequi dignitatem mariti; in partibus tamen maiestatis non aliter concurrere cum ipso censenda est, quam quatenus id ei concessum fuit. Neque tamen opus Imperatricem habere speciali atque expressa concessione Imperatoris, quotiescunque ius primariarum precum vult exercere, quin potius consuetudinem, ex cessione tacita sensim natam, ad quam olim iam uxor Caroli IV. in diplomate, paulo ante memorato, prouocauit, pro illa semper militare, existimamus, donec usus contrarius probetur. Forsan etiam iuri primariarum precum Imperatrici non minus, ac Imperatoris ipsius, ansam praebuit Aduocatia, quam Augustae in nonnullis ecclesis ex concessione maritorum suorum habebant. Adde, externum honoris splendorem vel in ipsis legibus Imperii publicis Augu-*

B 2

stae

m) TOELNERVS in *Hist. Palat. Cod. Diplom.* n. 148. *Abhandlung von dem Recht der ersten Bitte einer Roemischen Kayserin.*

n) DEINLINVS in *Exercit. Gieslae*, 1757. 4.

cit.

o) *Gottl. Aug. IENICHEN in der diplomatischen und rechtlichen* p) AYRERVS *lib. cit. Cap. V. §. 3. p. 177.*

stae assignatum, quem STRYCKIUS ^{q)} recte *maiestatem dignitatis, non tamen potestatis* appellandum censet, DEINLINVS ^{r)} vero cum aliis male pro vero iure maiestatico in Imperio R. G. ei competente habet, deceptus forsitan veteri, licet dudum immutata, regni administrandi ratione, tacitae cessionis maritorum, indeque per imitationem natae consuetudini primam occasionem dedisse videri. Quod ad *Vicarios Imperii* atinet, iis ius primariarum precum, etiam si reliqua argumenta, quibus id imprimis b. GRIBNERVS ^{s)} defendit, dubiis nouis doctissimorum virorum ab ill. AYRERO ^{t)} collectis infirmata dixeris, certe tamen vel ob solam obseruantiam illustribus exemplis a GRIBNERO allatis satis comprobatae omnino vindicandum esse arbitror. Sane memoratu digna sunt verba, quibus Elector Saxoniae Ioannes Georgius II. vt Vicarius Imp. in literis primariarum precum ibi obuiis vtitur: *Quare quum nobis Imperii Vicario ad Praedecessorum Nostrorum imitationem ex praedicta Aurea Bulla et inueterata consuetudine ius competat Preces primarias ad omnes et singulos etc. De Principibus et Comitibus Imperii immediatis, qui gaudent superioritate territoriali, eo minor est dubitatio, quod ius primariarum precum in suis terris exercere possint, quo certius a iuribus maiestati Caesareae in toto Imperio Germ. vi consuetudinis adnexis ad iura superioritati territoriali Ordinum Imperii in suis ditionibus adhaerentia argumentum duci potest. Equidem non in ea sum haeresi, vt tritum illud: *Tantum potest quisque Princeps in suo territorio, quantum Imperator in toto Imperio, in vniuersum adprobem, probe gnarus, hac regula iuri-**

q) Sam STRYCKIUS in Diff. de iure papali Princip. Evangelic. cap. IV. §. 5.

s) Mich. Henr. GRIBNERI Diff. de precibus primariis Vicarior. Imp. in Opusc. Tom. II. Sect. II.

t) AYRERVS lib. cit. Cap. III.

r) DEINLINVS Ex. cit. §. 9. §. 14.

inibus Principum nostrorum plus detrahi, quam addi. At
 verissimum tamen hoc principium esse iudico, si ad ea iura,
 quae Imperator vt *reservata Caesaris* solus sine Ordinum con-
 sensu in toto Imperio exercere potest, restringatur, in quo-
 rum numero etiam ius primariarum precum esse; nemo faci-
 le inficias iuerit. Neque ego cum iis facio, qui hoc ius par-
 tem superioritatis territorialis esse statuunt, vti GRIBNERVS.^{u)}
 Sed potius quemadmodum supra vidimus, ius primariarum
 precum Imperatori competere non tamquam ius maiestaticum,
 sed tamquam ius maiestati eius adnexum: ita et in Principi-
 bus Imperii illud non vt ius superioritatis territorialis, sed tan-
 tum vt ius eorum superioritati eadem ratione, ac maiestati
 Imperatorum cohaerens, spectandum esse arbitror. Qua-
 propter de ambitu iuris primariarum precum Principum Im-
 perii sic censeo, eum tam late patere, quam patet eorum su-
 peritas territorialis, adeoque in omnibus capitulis eorum di-
 tioni subiectis illud exerceri posse, in quibus non contraria
 obseruantia ei derogatum esse constat. Hoc vero ius, quod
 illis intra fines territorii sui competit, passim etiam ab ipso-
 rum *Vxoribus Celsissimis* exerceri videmus, quod est primarium
 nostrae tractationis caput, nunc data opera a nobis excutien-
 dum. Ad duo autem, ni fallor, momenta tota haec redit
 disputatio. *Primum*, vt intelligatur, *an et quo iure illud ab*
Vxoribus Celsissimis Ordinum Imperii exercentur? *Aterum*, vt,
quomodo exerceri possit? demonstretur.

§. IV.

An et quo titulo ius primariarum precum ab Vxoribus Ordinum
Imperii exercentur? disquiritur.

Vxores quidem Celsissimas Ordinum Imperii, etsi non
 omnes, tamen non paucas, primarias preces superiori aetate

B 3.

de-

u) GRIBNERVS in *Diff. de Opusc. Iur. Publ. T. I. Sect. VI.*
precibus primar. Princ. Imp. §. 3. in p. 133.



dedisse, et etiamnum dare, tam claris fide dignissimis testimoniis super hac re extantibus, quid? ipsis, quibus id factum est, documentorum publicorum exemplis in medium prolatis atque editis, nemo, credo, erit, qui negauerit. Iam Seculo XIV. vxores Ducum Austriae hoc singulari iure gauisas esse, vt tempore primi puerperii preces primarias dare possent, probatur literis huius iuris exercendi causa a Beatrice, Alberti III. Ducis Austriae, vxore ad Hermannum ab Ezlarn, patronum altaris in ecclesia S. Stephani Vindobonensi, directis, quae in Chartulario Alberti III. et Leopoldi Ducum Austriae varia monumenta annorum CIOCCCLXXIX. et CIOCCCLXXX. complectente et a b. SENCKENBERGIO *) publici iuris facto reperiuntur. Ex quibus simul intelligitur, iam diu antea hunc morem in Austria seruatum fuisse. Prouocatur enim ad antiquam obseruantiam. En ipsa verba: *Was von alter loeblicher und guter Gewonhait aller Unser Vorvordern Hertzoginn ze Oesterreich etc. seliger Gedaechnuz an Uns kommen ist, daz ihr yeckliche von ir ersten Gepurde von iru Vndertanen geert und erhoert sol werden, umb ein erste Pett darumb si pittent pefunderlich um ein Gotgabe.* De Reginis Borussiae, qua Electricibus Brandenburgicis, res hodie tam certa atque expedita est, vt BOEHMERVS y) longum indicem quatuor et quadraginta conuentuum virginum nobilium in diuersis terris Regi Borussiae parentibus sitorum, vbi hoc ius ab vxore Friderici Wilhelmi exercitum fuit, texere poterit. Equidem fatendum est, sub finem praeteriti seculi illud adhuc aliquoties in controuersiam vocatum fuisse. Ordines sane prouinciales Ducatus Magdeburgici contra eius exercitium du-

*) Henr. Christ. SENCKENBERGIUS in *Select. Iur. et Hist.* Tom. IV. Fasc. II. N. 78. et ex eo AYRERS lib. cit. in *Append. Docum. N. 93.*

y) BOEHMERVS in *Iure Eccl. Prot. lib. III. tit. V. §. 105.* Tom. II. p. 245. sq.



dubia mouisse, patet ex rescripto Electoris ad illos huius rei causa anno CIOIOCLXXXI. transmissio, quod apud AYRE-
RVM ^{z)} reperitur his fere verbis conceptum: *Wir haben — fürtragen lassen, was ihr wegen des in Vnsrem Fürstenthum Magdeburg Vns zustehenden Regalis der primariarum precum anderweit — erinnert, und — fürgestellt. Gleichwie wir nun dieses Ius in allen Vnsern andern — Landen Vns allein zuschreiben — also werden Wir auch ebenmaessig wegen der Stifter in Vnsern Herzogthum Magdeburg darüber zu halten wissen, das niemand, als Wir, und Vnsere Nachfolger an der Chur, oder, wenn es Frauen Stifter seyn, Vnsere hertzvielgeliebte Gemahlin, die Preces Primarias alda exerciren moege, etc.* Inprimis autem virgines Conuentus Mindensis ad S. Mariam Electrici hanc facultatem tam pertinaciter denegarunt, vt non solum eius preces recusarent, sed etiam, cum regimen Mindense ex speciali mandato Electoris ius quaesitum virginis ira prouisae tueretur, rem pro uocatione ad supremum iudicium Camerale Imperii deferre non dubitarent. De qua tamen audacia Legati Brandenburgici in Comitibus Imperii anno CIOIOCLXXXII. valde conquesti sunt, eandemque haud impune cessuram esse renitentibus declararunt. Ipsas legatorum-literas in Comitibus Ratisbonensibus tum propositas SCHILTERVS ^{aa)} egregio operi *de libertate ecclesiarum Germaniae* adiecit. At hodie praxin harum precum in Reginis Borussiae omni dubio carere, testis est BOEHMERVS, qui et recentiora quaedam exempla precum Sophiae Louisae, Friderici I. nec non Sophiae Dorotheae, Friderici Wilhelmi vxoris vna cum literis acceptationis a Capitulo, ad quod eae directae erant, factae in medium protulit. Nec omittendum hic est illustre exemplum vxorum Comitum Lippensum, a quibus hoc ius in coenobio virgi-

z) AYRERVS lib. cit. in Append. Docum. N. 84.

aa) Io. SCHILTERVS in lib. *de libert. Eccles. Germ.* in Addend.

num Lemgouienſi euangelico exerceri, ex lite ſuper eo a conuentualibus contra vxorem Comitis Friderici Adolphi anno MDCCCVIII. mota notum eſt. Scripta huius rei cauſa publici iuris facta, nempe literae Comitis ad Conuentum Imperii datae, Reſponſum a Samuele STRYCKIO elaboratum, literae Corporis Euangelici ad Caefarem, quibus pro Comitis eiusque vxoris iuribus interceſſerunt, aliud denique Reſponſum, cuius auctor Henricus Güntherus THVLEMARIUS perhibetur, a FABRO^{bb)} collecta proſtant. Prouocat autem Comes ad uſum diuturnum atque exempla anteceſſorum: *Da ſonſten meine Graefl. Vorſahren der Collation und Proviſion nicht weniger, als die regierende Graefin, der precum primariarum, ſo oft ſie deſhalb von iemand belanget worden, ſich bedienet, wie ſolches noch meiner erſtern Frauen Gemahlin Lbd. Chriſtmilden Andenkens gethan etc.* Sed haec de exemplis ſufficiant.

§. V. *Continuatio.*
Videamus nunc potius, quo iure vxores Ordinum Imperii preces ſuas exercent, proprio? an ceſſo? Vbi quidem ante omnia monendum eſt, a iure Imperatricis nec in aliis rebus, nec in primis in hac cauſa ad ius vxorum principum ſemper recte argumentari licere. Nam ut raceam, nonnullos ius primariarum precum Imperatricis, ſaltem hodie, vel ideo in dubium vocare, quod iam ab aliquot ſeculis de eius uſu atque exercitio non amplius conſtet, cum e contrario, ut vidimus in vxoribus Principum ac Comitum, illud in viridi adhuc ſit obſeruantia; etiam hanc ob cauſam eiusmodi argumentum plane infirmum eſſe intelligitur, quoniam, ut ſupra monui, externus honoris ſplendor Imperatrici, olim in primis tributus, et ex priſtina eius in adminiſtrando Imperio digni-

^{bb)} Aut. FABER in der *Europ. Staats-Canzley*, T. XIII. Cap. XIII. p. 481. ſq.

dignitate atque auctoritate superstes, primam forte huic iuri atque consuetudini dedisse occasionem videtur, quale quid tamen de vxoribus Ordinum Imperii dici nequit. Vnde duo colligo: *primum*, ius primariarum precum, etiam si Imperatrici ob neglectum vsum hodie non amplius competeret, (quod quidem ipsum non facile concesserim, persuasus potius, exercitio eius vtrut rei merae facultatis, haud praescribi) tamen vxoribus Principum ideo non statim denegandum esse, vt recte iudicat GRIBNERVS: ^{cc)} *alterum*, ex eo solo, quod Imperatrices illud exercere possint, nondum consequi, quod etiam vxoribus Ordinum competat. Quod tamen non ita intelligi volo, quasi harum facultas in exercendis precibus primariis cum iure Imperatricis nunquam comparari possit: hoc tantum disputo, non *semper*, praesertim quoad originem ac fundamentum huius iuris, tuto id fieri. Sed haec obiter. Redeamus ad rem ipsam, et inquiramus, vtrum haec facultas vxoribus Ordinum Imperii ita sit propria, vt eam absque auctoritate et concessione mariti exercere queant? an ex eius demum cessione originem ducat? Qui prius serio affirmauerit, posse nempe vxorem Principis primarias preces ad Capitula superioritati territoriali sui mariti subiecta absque eius concessione dirigere, neminem quidem scio praeter vnum DEINLINVM, ^{dd)} qui contortis quibusdam ratiunculis id defendere conatus est, quas breuiter sub examen vocare iuuabit. Scilicet comparatione inter Imperatricem, cui hoc ius paullo ante vt maiestaticum male asseruerat, atque vxores Principum Imperii instituta, his quoque ex eodem fonte hanc facultatem vindicare laborat. Prouocat autem

cc) GRIBNERVS in Diff. de precib. primar. Princip. Imp. §. VII. in Opusc. Iur. Pub. T. I. Sect. VI. p. 123.

dd) DEINLINVS in Exercit. cit. §. X.



inprimis ad diplomata, quae de Reginis Borussiae extant. In his, ait, tantum abesse, ut quicquam occurrat, quod de praecedente aliquo cessionis actu ab earum maritis facto testetur, ut potius ex verbis, quibus Sophia Louisa in literis primariarum precum anno MDCCCXVI. datis videtur: *Nachdem Uns als regierender Koenigin in Preussen und Graefin zn der Marck, das Jus Primariarum Precum zusiehet etc. nec non ex formula confirmationis regiae: Nachdem unserer Vielgeliebten Gemahlin der Koenigin Maj. bey unserer Vermaehlung auch das Jus Primariarum Precum in denen Jungfräul. Stiftern angediechen, und dann Dieselbe — conferirt etc. proprii iuris comperentia luculenter adpareat. Ac licet viderit, ob stare sibi partim formulam satis claram literarum Reginae: Mit Genehmhaltung Vnsers Hochgeliebten Herrn und Koeniglichen Gemahls Maj. etc. partim etiam hoc, quod confirmatio mariti ad preces Reginae accedere debeat; tamen ita se expedire voluit, ut diceret, longe diuersa esse, habere aliquam facultatem in futurum agendi ex iure cesso; et accedere solere ad actus iam gestos confirmationem. Cessiones enim antecedere debere; alias nos vel agere non posse, vel, si agamus, nulliter agere. Confirmationes vero sequi actus iam optimo iure gestos et per se suo iure subsistentes validosque. Cessiones igitur non posse fieri, nisi ab iis, qui illo ipso iure, quod cedere velint, priuatiue et cum exclusione aliorum gaudeant; confirmationes autem semper fere fieri ab iis, qui illo iure, quod confirmationem petentes exercent, prorsus non gaudeant ipsi. Exempla peti posse a confirmationibus venditionum, ab oppignorationibus feudorum a domino confirmandis, nec non ab electionibus Episcoporum et Praelatorum confirmandis. Ergo a necessitate adhibendae confirmationis in exercitio primariarum precum male concludi ad necessitatem praecedentis cessionis, quasi haec facultas non nisi ex iure cesso competat. Ita DEINLINVS.*

Sed



Sed his ratiunculis ego quidem non moueor. *Primum* valde perplexus est ille, cum ex verbis: *Nachdem Vos als regierender Koenigin von Preussen und Graefin zu der Mark das ius etc.* consequi putat, ius primariarum precum Reginae tamquam *proprium* competere, neque ex cessione mariti demum quaesitum esse. Dum enim vim probandi voci *regierender* inesse censet, nihil aliud hoc egregio ratiocinio efficere studet, quam vt credamus, ius primariarum precum, quod sua natura atque origine etiam in Imperatrice maiestatis partem esse contendit, vi superioritatis territorialis vxoribus Ordinum Imperii ita non obscure adscriptae, ab iis exerceri. Lepida profecto doctrina et cum formula Imperii nostri pulcherrime cohaerens, *vxoribus Ordinum Imperii superioritatem territorialem propriam esse!* Non cogitauit noster, voce *regierender* non maiestatem aut superioritatem territorialem Reginae et Electricis, qua ipsa *imperium tenens* polleat, sed tantam dignitatem eius, quod sit *uxor mariti regnantis*, indicari; siquidem certissimi iuris est, in illustri familia ex vxoribus omnium principum ad eam pertinentibus nullam, nisi solius regnantis principis coniugem primarias preces intra territorium mariti sui dare posse. Ergo ex verbis allatis hoc tantum cognoscitur, soli vxori Regis Borussorum et Comitis Marchiae regnantis, non coniugibus reliquorum Principum Borussiae et Comitum Marchiae, facultatem primarias preces intra fines huius ditionis porrigendi competere. At quomodo ad decidendam nostram quaestionem faciant, ego non video. Sane quo iure regnantis Principis vxori haec facultas competat, proprio? an cesso a marito? ne litera quidem ibi significatur. Nec magis intelligo, quid iuuent nostrum verba: *Nachdem unserer Gemahlin — bey unserer Vermählung auch das Ius Primariarum Precum — angediehen etc.* Haec enim nihil aliud innunt, quam terminum, a quo hoc ius Reginae competere





coeperit, scilicet statim a consummato matrimonio, fundamentum vero eius haud indicant. Quae porro DEINLINVS de discrimine inter facultatem in futurum agendi ex iure cesso, et necessitatem confirmationis ad actus iam gestos accedentis, protulit, haec vereor, ne, si ad nostrum causam adplicantur, ad meram verborum pugnam redeant. Nam vt taceam, non semper verum esse, quod confirmans ipse eo iure, cuius exercitium in alia persona adprobat, non gaudeat, lusi profecto noster *cessionis* vocabulo, quod stricto sensu de translatione iuris in aliam personam ante actum suscipiendum *expresse* facta explicauit, cum tamen, vt ex statu controuersiae intelligitur, hic nihil aliud indicet, quam permissionem et concessionem quamcunque mariti Augusti, siue *expresse* interpositam, siue tacita obseruantia et subsequuta confirmatione demonstratam. Opponitur enim hic facultas, quae ex iure cesso, h. e. ex permissione alterius exercetur, ei, quae propria auctoritate, et alterius consensu etiam non interueniente, competit. Subtilior igitur hac in re est DEINLINI philosophia, quam vt aliquis nostrum eam capere possit. Mihi potius cum GRIBNERO ^{ee)} atque AYRERO ^{ff)} contraria sedet opinio, non ex propria auctoritate Augustarum, sed tantum ex iure cesso, h. e. ex permissione mariti Augusti earum preces primarias vim nancisci. Nam si certum est, quod supra probauimus, ius primariarum precum in Germania, quamuis non sit pars maiestatis aut superioritatis territorialis, tamen cum maiestate Imperatoris et superioritate territoriali Ordinum Imperii tamquam ius accessorium arctissimo vinculo coniunctum esse, non potest non tuto inde colligi, illud nemini *vi propria*

ee) GRIBNERVS in Diff. de Precib. prim. Princip. Imp. §. VII. ff) AYRERVS lib. cit. Cap. V. n. c. in Opusc. Iur. Publ. T. I. §. 5. p. 179. p. 183.

pria competere, qui nec maiestate nec superioritate territoriali
 gaudet, sed, si ab alia persona exerceatur, sola concessione
 eius, cuius est maiestas aut superioritas territorialis, id fieri.
 Jam vero nemo, nisi monstrorum sectator, superioritatem ter-
 ritorialem vxori Principis propriam adscripturum fore, credo.
 Quid igitur clarius, quam coniuges Ordinum Imperii non
 propria auctoritate, sed ex sola maritorum concessione ius
 primariorum precum in horum terris exercere posse? Quod
 tamen non ita accipi debet, quasi expressa aut speciali cessio-
 ne semper opus sit, quoties vxor Principis aut Comitis illud
 exercere velit, nec tacita aut generalis sufficiat. Potius rem
 distinctione expediendam esse arbitror. Scilicet exercitium
 primariorum precum vxorum Principum alicuius territorii aut
 in obseruantiam iam transit, quod ex constanti maiorum vsu
 colligitur, aut vim consuetudinis nondum nactum est. Si
 prius, ex ipso vsu haecenus seruato *tacita* adprobatio et con-
 cessio Principum antecedentium satis elucet. Haec vero cum
 et in sequentibus Principibus tam diu durare praesumenda
 sit, (quilibet enim Princeps rebus sic stantibus coniugi suae
 tantum iuris atque praerogatiuae tribuere voluisse, ex regulis
 decori et externi splendoris causa existimari debet, quantum
 vxores antecessorum suorum tenuerunt) donec de contraria
 eorum voluntate constet: hoc quidem casu *expressa et speciali*
 cessione mariti in qualibet Principe, vt primarias preces dare
 valeat, opus non esse iudico. Sufficit, Principem iam re-
 gnantem hanc facultatem, vxoribus maiorum suorum ex ta-
 cita eorum concessione acquisitam et sic sensim vim consuetu-
 dinis nactam, suae coniugi *expressa declaratione contraria* non-
 dum denegasse, quod quidem eum posse, nullam inuenio
 dubitandi causam. Hoc vero ni fecerit, ipse etiam adhuc in
 voluntate tacita antecessorum constanter perseverare viderur.
 Atque tum ne confirmatio quidem mariti subsequens ex mea



sententia requiritur, nisi mos haecenus obseruatus id velit, qualem in primariis precibus Reginarum Borussiae et Electricum Brandenburgicarum deprehendere licet, vt exempla apud BOEHMERVM obuia docent. Sequitur alterum distinctionis membrum: Qualis nempe cessio mariti Principis iis in terris desideretur, vbi ex moribus maiorum nullae Augustae preces primariae descendunt, h. e. vbi hoc ius ab vxoribus antecedentium Principum haud exercitum fuit? Hic sane coniux Principis nunc regnantis consuetudinis titulum et tacitam concessionem mariti prae se ferre nequit. Ergo opus habet *expressa concessione* mariti, aut sub *cessionis* strictae sic dictae imagine antecedente aut saltem sub *ratihabitionis* forma subsequente declarata. Alias eius primarias preces, quas propria auctoritate exercere non poterat, omni vi destitutas esse, facile est intellectu. Haec vero cessio aut erit *generalis*, si omnia capitula, saltem foeminini sexus, in ditioe mariti sita concernit, aut *specialis*, si ad vnum vel plura nominatim expressa capitula restricta est. Hac postrema tantum facta, semper noua concessio requiritur, quoties vxor preces suas ad capitulum priori non comprehensum efficaciter dirigere cupit. Caeterum quod Princeps in iis terris, vbi haecenus coniuges Principum hoc iure nondum vsas fuisse adparet, in sua tamen vxore primum huius facultatis largiendae initium proprio arbitrio iuste facere possit, mihi quidem extra omnem dubitationem positum esse videtur, hac sola specie excepta, si pacta cum Ordinibus Prouinciae vel cum capitulis mediatis ei subiectis inita obsent, aut Principes contradictiones Capitulorum hanc ob causam factas in consuetudinem transire siuerint, quae omnino vim pactorum tacitorum habent: dummodo ipse Princeps a tempore suscepti regiminis eam nondum in iis capitulis, in quibus vxori nunc permittit, exercuerit, nec impofterum exercere velit. Sane, vtrum Princeps



ceps ipse, an per aliam personam hoc ius exerceat? perinde esse debet, cum nihil damni inde immineat capitulis, modo plus semel durante regimine cuiuslibet Principis non fiat. Nam plures preces ad idem Capitulum ab eodem Principe aut eius auctoritate dirigi, natura harum precum haud patitur. Sic transeat haec controuersia.

§. VI.

Quae vxor Principis aut Comitis ius primariarum precum exercere possit?

Iam ad ea capita dirigenda est nostra disputatio, quae modum huius iuris exercendi propius attingunt. Vbi ante omnia videndum: *Quaenam vxor Principis aut Comitis hac facultate gaudeat?* Equidem neminem esse arbitror, quin ex praemissis doctrinis statim perspiciat, hoc ius solius regnantis Principis aut Comitis coniugi, non etiam vxoribus reliquorum Principum aut Comitum ex eadem domo prognatorum, quid? ne hereditarij quidem principis vxori adscribendum esse. Nam si his competeret, aut ex iure cesso maritorum, aut ex concessione ipsius Principis regnantis illud descenderet. Prius mente concipi nequit. Quis enim cedere valeat, quod ipse non habet? Posterius quamuis naturae primariarum precum et potestati, quae Principi regnanti in eas competit, haud repugnet, tamen moribus non conuenit, nec vllum eiusmodi concessionis exemplum afferri potest. Omnes potius, quas a Principibus foeminis datas scimus, preces primariae a solis vxoribus regnantium Principum profectae sunt. Hinc Sophia Louisa, Friderici Borussiae Regis vxor, in literis ex BOEHMERO supra allegatis expresse profitetur, sibi *als regierender Koenigin in Preussen und Graefin zu der Marck*, ius primariarum precum competere. Nec aliud innuunt literae Comitissae Lippenensis iam commemoratae his verbis: *Da sonst mein Graefliche Vorfahren der Collation und Prouision nicht we-*
niger,



niger, als die regierende Graefin der primariarum precum — sich bedienet. Et paullo post: *Weilen aber bey meinem Graeflichen Hause die Gemahlinnen der regierenden Herrschafft, sich desfalls nicht weniger in possessione vel quasi gefunden.* Sed et circa ipsas regnantis Principis vxores quaeritur: *An prima mortua aut diuortio separata, etiam altera hoc ius exercere possit?* Pender, si quid video, haec quaestio a natura iuris primariarum precum, quae sane non patitur, vt ab eo, cui proprium est, plus semel in eadem fundatione exerceatur. Vnicum vero hoc exercitium non ex persona coniugis, sed ex mariti potius persona diiudicandum esse, ex eo adparet, quod preces vxoris Principis non ob propriam eius auctoritatem, sed ob solam cessionem mariti, cuius superioritati territoriali eae tamquam propriae adhaerent, valeant, vt supra vidimus. Itaque de iure coniugis secundae sententiam ita diuidendam esse censeo, vt duae species valde diuersae separentur. *Prima*, cum prior vxor nondum illud exercuerit: quo casu nullam adesse puto rationem, cur capitulum preces secundae recusare possit. *Alter*a, cum prior coniux hoc suo iure iam vsa sit; tum vero preces secundae iis in capitulis, ad quae prior tales iam direxerat, exulare oportere, nemo negare potest, nisi Principi repetitum huius iuris vsu citra eius naturam tribuere haud dubitet. Obseruantiam tamen contrariam, non praesumendam quidem, sed demonstrandam, sicut vbiuis, ita et in hac re vim habere, facile largior. Ad quam Fridericus Adolphus, Comes Lippiae, respexisse videtur, dum in literis iam aliquoties a me laudatis de conuentu virginum Lemgouienli secundae eius coniugi, non quidem ex hac, sed ex aliis caussis, ius primariarum precum denegante, sic conqueritur: *Wie solches noch meine erstere Frau Gemahlin Lbd. Christmilden Andenckens gethan, durch welche die noch lebende Conuentualin Brands dergestalt ins Kloster gekommen, ohne das die*
Con-

Conventualen sich dagegen jemahlen im geringsten gesperrt, auſſer, daſſ, wie ungeſehr vor drey Jahren, eines Raths-Beyſitzers Tochter aus Lemgau, — welche — von meiner jetzigen Frau Gemahlin Lbd. per modum primariorum precum darzu recommendirt worden, ſie dieſelbe anzunehmen recuſirt. Simili fere, licet non plane eodem modo, de iure ſecundae Imperatoris coniugis ill. A Y R E R V S ^{gg}) pronunciauit.

§. VII.

Tempus huius iuris exercendi?

Transio ad tempus, intra quod vxori Principis egregia hac facultate ceſſa vti licet. Duo autem tempora hic notanda veniunt, *terminus a quo ea competere incipit, et terminus ad quem eadem durat.* Ad illum quidem quod attinet, nemo non videt, ante conſummatum matrimonium ius primariorum precum ex conſuetudine cum tacita ceſſione coniuncta vxoribus Principum alicuius territorii quaefitum ab iis valide exerceri non poſſe. Satis enim conſtat, conſumationem demum matrimonii terminum conſtituere, a quo iura vxorum incipiant. Cum autem iure Germanico conſummatio matrimonii non in ſola benedictione ſacerdotali poſita ſit, ſed ipſam thalami conſenſionem requirat, cuius inprimis inter illuſtres perſonas ſollempnior atque ſtrictior viſus eſſe ſolet, in aprico eſt, ante hanc thalami conſenſionem factam primarias preces ab vxore Principis poſt benedictionem ſtatim forte mortui iure haud dari, eandemque ſolam vt verum terminum, a quo haec facultas ſe exſerat, ſpectari debere. Singularis plane occurrit moſ in vxoribus Ducum Austriae ſaltem olim obſeruatus, quibus demum tempore primi puerperii ius primariorum precum competere, ex Diplomate Beatrix, Alberti III. Ducis Austriae coniugis, §. IV. a nobis commemorato cognoscitur. Maior dubitatio de *termino ad quem*

gg) AYRERVS I. c. p. 178.

D



quem adesse videtur. Quaeritur enim: Vtrum vidua adhuc hoc iure, vbi viuo marito Principe nondum vsa sit, gaudeat? an morte mariti illud plane expiret? Fateor, vtramque sententiam suis niti rationibus haud spernendis. Ad priorem stabilendam inprimis facit hoc, quod matrimonio secuto et cessione, siue expressa, siue tacita, semel facta ius perfectum in vxorem translatum fuerit, quod morte mariti perire nequeat. Posterior tamen, ni fallor, cum natura iuris primariarum precum magis conuenit. Satis enim expeditum est, cessionarium nec plus iuris, nec ad longius tempus accipere posse, quam quantum et ad quod cedens habeat. Est autem ius primariarum precum, sicut Imperatoris, ita et Principis sua natura ad dies vitae eius adstrictum. An igitur vxori eius Augustae cessione vltra dies vitae mariti acquiri, adeoque a vidua adhuc iis in capitulis, vbi eo viuo non exercuerat, exerceri posse credamus?

§. VIII.

In quibus capitulis exerceri possit? An et in masculinis?

Venio tandem ad ambitum huius iuris singularis, et quaero, in quibus capitulis atque ecclesiis vxores Principum eo gaudeant? Est hic, si quid video, iterum ad solam cessionem mariti Augusti respiciendum. Non posse illud extendi vltra fines potestatis, quam ipse maritus habet, nemo, credo, erit, qui negare audeat. *Prima igitur regula de eius ambitu haec esto: In quibus capitulis atque ecclesiis Principi aut Comiti, vel quia superioritati eius territoriali ea haud subsunt, vel quia contraria obseruantia legitima aut pactum obstat, ius ad primarias preces nullum est, in iis nec vxor eius hanc facultatem nancisci et exercere potest.* Quid vero dicendum de iis capitulis ac fundationibus, in quibus marito citra controuersiam illud competit? Num in his semper vxor Principis primarias preces optimo iure exercet? Ego rationes ita subducendas arbitror. Aut cessio mariti est tantum *specialis* et ad certa loca atque capitula

pitula restricta, aut generalis. Priori casu intra fines concessionis, tamquam genuini primariarum precum in foeminis Augustis fundamenti, subsistendum esse, facile est perspectu. Vnde altera regula fuit: *Si concessio mariti Principis specialis tantum est, vxor Augusta primarias preces ad omnia capitula sub ea comprehensa, at non amplius, recte dirigit.* Specialem autem esse, vel ex expressis concessionis aut confirmationis literis, vel ex tacito vsu atque obseruantia intelligitur. Sed in generali, quae eadem ratione cognoscitur, cum nulla adsit restrictio, restrictiones vero non praesumantur, facultas vxoris tam late patere, ac ipsius mariti cedentis, mihi quidem videtur. Nam qui ius suum nullis adiectis limitibus in alterum transfert, is totum ius suum transtulisse censendus est. Hinc tertia regula: *Si concessio Principis generalis est, vxor Augusta ad omnes omnino ecclesias, in quibus marito ius primariarum precum tanquam proprium competit, tales quoque preces dirigere potest.* Ex his regulis diiudicandam censeo aliam non leuis momenti quaestionem: *Num primariae preces vxorum Principum in foemini tantum sexus capitulis, non aequae in masculinis, vim habeant?* Pendet profecto eius decisio a sola qualitate concessionis. Natura enim iuris primariarum precum non prohibet, quin a foemina in masculinis capitulis exerceatur. Quapropter sic statuo: Vxorem principis posse, si ius primariarum precum generali mariti cessione, quae efficit, vt illud in vxore non arctioribus limitibus circumscriptum sit, ac erat in ipso marito Principe, acquisuerit, in vtriusque sexus capitulis hac facultate recte vti, nisi cessione speciali, obseruantia, pactis ad solas foemininas foundationes illud restrictum esse adpareat.

§. IX.

Conclusio.

Ita vero, quae de primariis precibus vxorum Ordinum Imperii Serenissimarum ac Celsissimarum dici poterant, absoluius. Nam totum primariarum precum ambitum hic expo-



nere, nec animus, nec opus erat. Ea tantum capita selegimus, quae ad solum ius singulare Augustarum spectant, reliqua vero, quae ad naturam iuris primariarum precum, et ad modum illud exercendi, ita pertinent, ut nihil singulare in his efficiant, quia iam ab aliis copiosius tractata sunt, omittenda duximus.

PRAESIDIS
EPISTOLA

A D

ORNATISSIMUM DEFENSOREM.

Ego vero desiderio TVO, Humanissime HYMNITZSCH, quomae comitem in defendendo hoc libello TIBI esse voluisti, eo lubentius pareo, quo magis TE partim ob indefessum literarum studium, quod in TE esse magna cum voluptate animaduerti, cum meis scholis frequenter et assidua diligentia interesses, partim ob TVVM erga me animum haecenus amavi. Gratulor TIBI et OPTIMIS PARENTIBVS TVIS, quorum scio, summam, ut par est, de TE spem esse, de die certamini literario abs TE publice ineundo destinato, persuasus, TE laudibus, primo diligentiae atque doctrinae praemio, cumulatam e cathedra descensurum esse, voneoque ex animo, ut mox maiores honores maioraque praemia, quibus es dignissimus, consequaris. Discessum TVVM ex hac academia, in qua ultra triennium cum laude versatus es, quem nunc paras, minus doleo, quoniam de TVA erga me amicitia sum certissimus, quae mihi spondet, fore, ut absens etiam eundem amorem in posterum mihi sis seruaturus, quo hic me profectus es. Vale semper in spem patriae TKORVMque delicias. Scripsi Lipsiae die VI. Augusti CIOIOCLXX.



VD 18

cb.

ULB Halle 3
004 997 506







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

21

1790, 50.

DISSERTATIO IVRIS PVBLICI GERMANICI

D E

IVRE PRIMARIARVM PRECVM
VXORIBVS ORDINVM IMP.
COMPETENTE.

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E

AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT

IVRISSCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE,
ANTIQVIT. IVR. PROFESS. EXTR. ACADEM. ELECT.
MOGVNT. SCIENT. VTIL. NEC NON SOCIETAT.
LAT. IENENS. COLLEGA,

DIE VIII. AVG. A. O. R. CIOCCCLXX.

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

A V C T O R.

CHRISTIANVS FRIDERICVS HVMMITZSCH

MISNA - MISNICVS.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA



P. 377.

7

